



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

77. An in Concilio Tridentino sess. 25. c. 26. de Regulat. comprehendatur
renunciatio, vel donatio facta ante ingressum Nouitiatus intuitu ingressus
Religionis? Ex p. 5. tr. 2. res. 55.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76413)

donationis, &c. disp. 4. thes. 38. & seqq. Antonius Faber d. p. 2. de errorib. pragmat. decad. 43. error. 6. cum seq. & docui ad principium tit. infra, quibus non est permittum facere testam. n. 1. & seq. Eamque rem, post alios, vberius explicant Matthias Berlichius, concl. practicab. p. 3. concl. 1. n. 6. cum sequentibus, & Thadæus Pilo lib. 4. var. ref. c. 4. n. 3. & sequentibus.

RESOL. LXXIV.

An Regula Cancellaria obligent in foro conscientia, & interiori?

Et an donatio inter vivos facta ab Episcopo intra viginti dies ante eius obitum sit valida in foro conscientia, licet per Regulam Cancellaria de viginti in foro exteriori sit nulla, & licet sanus esset Episcopus?

Et an prædicta donationes valida sint in utroque foro: unde donatarius possit obviare, si forte publicetur excommunicatio contra non reuelantes bona Episcopi defuncti, quod est valde notandum: Ex part. 1. tract. 10. Ref. 43.

Supra cont. §. 1. in hac Ref. in Ref. seq. §. 1.

Respondeo negatiue: unde donationem inter vivos factam per Episcopum intra viginti dies ante eius obitum, existimo esse validam in foro conscientia, licet per Regulam Cancellaria de viginti in foro exteriori sit nulla. Et ita docet Ioannes Valerius in diff. vtriusque fori, v. b. donatio, diff. 6. n. 2. vbi sic ait: [In foro vero interiori prædictæ donationes inter vivos irrevocabiler factæ validæ sunt, & tenent: quia prædicta Regula de viginti, & alia Regula Cancellaria, sunt tantum pro foro exteriori; sunt etenim iudiciales, per notata per Gomez de Reg. Cancell. in prin. & trademus verb. Possessio, diff. 1. Quod maxime procedit, cum donatio facta fuit extra infirmitatem, cum scilicet, sanus esset Episcopus; adeo ut dicat Henriquez in summ. tit. de Indulg. c. 30. §. 7. in Gloss. lit. R. prædictas donationes, factas etiam propè, vel circa mortem, validas esse in utroque foro; vt multi in utroque iure periti, Salmanticae consulti responderunt; sed præfati collectores generales nequaquam admittent: nihilominus tamen quoad forum conscientia tutus est donatarius, unde poterit obviare, si forte publicetur excommunicatio contra non reuelantes bona Episcopi defuncti: quod nota, quia est quotidianum.] Ita Valerius.

RESOL. LXXV.

An donatio Episcopi intra viginti dies ante obitum sit valida?

Et quid, si donatio fuerit facta extra infirmitatem, cum scilicet sanus esset Episcopus, quare adhuc si publicetur excommunicatio contra non reuelantes bona Episcopi defuncti, manet tutus in conscientia donatarius? Ex p. 8. tr. 6. Ref. 88.

Sup. cont. §. 1. in hoc §. 1. in Ref. præterit.

Distinguit Caspensis in Cursu Theologico tom. 2. tract. 19. diff. 1. sect. 2. n. 17. & sic ait. Donatio facta per Episcopum intra viginti dies ante obitum, invalida, ac nulla est in foro exteriori; quia præsumitur facta causa mortis, & in fraudem iuris Camera Apostolica, etiam si fiat in fauorem cuiuscumque causæ piæ. At in foro interiori prædicta donatio valida est, quod maxime procedit cum donatio facta fuit extra infirmitatem, cum scilicet sanus esset Episcopus; quare adhuc si publicetur excommunicatio contra non reuelantes bona Episcopi defuncti, manet tutus in conscientia. Ita ille.

2. Obseruat tamen ex Nauarro Neguerolus tom. 1. allegat. 26. num. 259. quod in exteriori foro hæc dona-

tionis ab egrotis Episcopis factæ fraudulentè iudicantur, & ita debent reuocari, si non interueniat cautela, scilicet, quod donator sit fide dignus, & iuramento testetur se eam donationem non ficto, sed vero animo facere, vt satisfiat obligationi, qua tenetur, quæ eis superiunt, piis operibus, & pauperibus extorgere, iure etiam se nunquam eam reuocaturum, quantumvis postea sit superstes: hoc enim vehementer adimit suspicionem præfatam.

3. Molina verò de primogen. libro 2. cap. 10. num. 41. addit, quod ob opinionum diuersitatem ferè semper causa super donationibus factis ab infirmis Episcopis concordatur.

RESOL. LXXVI.

An donatio causa mortis facta à Nouitio post ingressum Religionis sit valida: non obstante Decreto Concilij Tridentini sess. 25. c. 16. de sepult?

Et notatur, quod nulla existente professione, nulla etiam existit donatio in consobrinos collata.

Et quod Monachus, qui fecit professionem, si licite à Religione recessit, recuperat bona Ecclesie collata contemplatione ingressus Religionis. Ex part. 8. tr. 6. Ref. 86.

§. 1. **R**espondeo, donationem hanc in utroque foro valere: nam ex Decreto Concilij Tridentini, Nouitij non carent facultate condendi testamentum, vel codicillum, seu aliter dandi ex vltima voluntate; etiam non petita Superioris Religionis licentia; modò Primò, sint capaces ad donandum. Secundo, liberè & non coactè donent, Tertio, rem cuius sunt domini, donent.

2. Et ita hanc sententiam tenet Bartholomæus de Vecchis in praxi recipiendi Nouitios, disp. 8. dub. 1. n. 3. vbi sic ait. Per decretum Tridentini sess. 25. cap. 16. de Regul. Nouitij non carent facultate condendi testamentum ante vel post Religionis ingressum, quidquid aliqui dixerint. Et ita declarauit Sacra Cardinalium Congregatio die 22. Ianuarij 1598. Quod probatur, nam Tridentinum de solis remunerationibus & obligationibus loquitur. At testamentum, nec renunciatio, nec obligatio dicitur. Et idem dicendum est de quacumque vltima voluntate, vt est donatio causa mortis, & codicillus. Ita ille, & post illum Homobonus in consult. mor. ref. 2. p. 6. ref. 80.

3. Notandum est hic obiter, quod nulla existente professione, nulla etiam existit donatio in consobrinos collata, vt constat ex his que scribunt Hostiensis, Ioannes Andreas, & Abbas in e. quod à re, de Cleric. coning. vbi asserunt, quod Monachus, qui fecit professionem, si licite à Religione recessit, recuperat bona Ecclesie collata contemplatione ingressus in Religionem.

4. Idque ex eo etiam confirmatur, quod in specie respondit Natta in cons. 181. n. 1. & seq. vbi concludit, quod donatio facta à Monacho sub ea conditione, quod liceret ei ad bona propria redire, si non posset stare in Monasterio, resoluitur, & potest Monachus ad bona donata regredi, nec ei per donatarium controuersia inferri potest, si licite recedit à Religione, cum purificata fuerit conditio ipsius donationis resolutione.

RESOL. LXXVII.

An in Concilio Trident. sess. 25. cap. 26. de Regularibus comprehendatur renunciatio, vel donatio facta ante ingressum Nouitatus in uicium ingressus Religionis? Ex p. 3. tr. 2. Ref. 55.

§. 1. **A**firmatiuam sententiam docent 16. DD. apud Sanchez in summ. tom. 2. lib. 7. c. 5. num. 3. licet ipse

ipſen. 4. & meritò cum multis aliis contrarium doceat quibus ego addo Villalobos in ſum. 10. 2. tract. 35. diſſ. 17. n. 4. & Portel in dub. Regul. v. Nouitiatus, n. 41. vbi ſic ait. Si Nouitiuſ ante ingreſſum Ordinis, iam talem ingreſſum cogitans, & proponens, aliquid donauit, vel renunciauit, factum tenet, & eſt validum; nam adhuc non erat Nouitiuſ, & Concilium ſolum prohibet, ne donec Nouitiuſ, & reſert Quaranta, ſic declaratum fuiſſe à Cardinalibus. Ita Portellus; & hanc ſententiam etiam docet nouiſſimè Menochiuſ in addit. ad lib. 2. de arbit. iud. ca. 426. n. 3. vbi aſſert quendam petitionem factam Sacræ Congregationi cum eius reſponſione ſpectatio verò, & reſponſio hæc eſt.

2. Anna de Cagnolis, nunc ſoror Hortenſia Maria, facta Monialis, & profeſſa in Monafterio Sanctæ Agnetis Mediolani, hæres pro tertia parte ſui patris, aſſerens ſe habere animum ingrediendi Religionem, cum conditione, quatenus in eo profeſſionem emitteret, & non alias, ante tamen ingreſſum Monafterij portionem vnã paternã, & alia iura, reſertenti ſibi ſcutis duobus millibus tantum pro ſua dote, Dominis Scipionis, & Ferdinando Cagnolis renunciauit, & ceſſit, vt conſtat publico iſtrumento cum iuramento. Promiſit etiam Anna ad cautelam, iura iuribus addendo, intra duos meſes ante profeſſionem emiſſionem dictum iſtrumentum ratificare. Adueniente bimſtri ante profeſſionem, Anna non ſolum ratificare noluit, ſed obtenta abſolutione à iuramento illud, & contenta in eo totaliter reuocauit, aſſerens ſe fuiſſe ſeducatam metu reuerſentiali, & nunquam fuiſſe intentionis ſuæ talem conſeſſionem facere, poſtea ſolemniter profeſſionem emiſit. Nunc Monafterium, & foror iſta animaduertens huiſmodi ceſſionem eſſe factam in fraudem Religionis, & Monafterij contra formam Sacri Concilij Tridentini, ſeſſ. 25. c. 16. de reg. inſtit. declarari Sacrum Concilium comprehendere caſum iſtum, & annullare ſupraſcriptum iſtrumentum, & de opportuno remedio provideri.

Congregatio Concilij conſuiſit, Decretum Concilij Tridentini c. 16. ſeſſ. 25. de reg. non habere locum in renunciatione facta ante ſuſceptionem habitus. Hieronymus Cardinalis Mattheus.

RESOL. LXXVIII.

An donatio facta ante ingreſſum Religionis animo ingrediendi illam, ſit valida? Ex part. 3. tr. 6. Reſ. 87.

§. 1. **N**ominatim contra me negatiuam ſententiam tenet Pater Fagundez de contrat. lib. 4. c. 6. n. 6. Quia intentum Concilij, ob quod prohibet has donationes, & renunciations, & annullat, eſt, ne donantes & renunciantes cogantur poſtea inuiti profiteri ex defectu bonorum; & non minus cogitur renuncians & donans inuiti profiteri ob donationem factam in ſeculo, animo & intuitu ingrediendi Religionem, quàm ob donationem factam in Nouitiatu, & poſt ingreſſum Religionis: ergo intentum. *Secundò*, quia Concilium abſolute & vniuerſim loquitur de renunciatione & donatione facta ante profeſſionem, non reſtringendo ad factam tempore Nouitiatus; & vbi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus; & parũ reſert, quòd hoc Concilij Decretum contineatur ſub rubrica, & *rit. de Regularibus*, nam idè ſub illo ponitur, quia hæ donationes erant factæ in ordine ad ſtatum Religionis. Status autem nõ acquiritur, niſi poſt profeſſionem; & idè nullum ſitum argumentum inde poteſt contra hanc opinionem aſſerri. *Tertiò*, quia hoc decretum non eſt penale, quatenus penam addat nullitatis, ſed doctrinaria pro omnibus qui volunt Religionem profiteri; pena enim ibi ponitur per accidens, non per ſe: nam id quod primò & per ſe intendit Concilium, eſt, ne Nouitijs aut

Tom. V. l.

Nouitijs proficeantur iniuræ ob defectum bonorum, quibus ſe ſpoliauerunt ante profeſſionem. *Quariò*, quia lex generalis extenditur ad alium caſum ſimilem, quòd ſi ad illum non extenderetur, frustraretur diſpoſitio ipſius legis penalis, quòd patet c. ſi ciuias, de ſent. excomm. n. 6. vbi decernitur, extendi ad ſuburbia interdictionem ciuitatis, ne facile pena interdictionis eludatur, & ex c. de uſuris in 6. & Gloſſa ibi: nam caput illud eſt penale, & interdicit uſurariis facturam teſtamenti, niſi prius uſuras reſtituant, aut cautionem reſtituendi preſtent, & tamen Gloſſa ibi hanc prohibitionem extendit ad Codicillos, eo quòd alias facile prohibitio eluderetur. Et verò nemo negabit hoc Decretum Concilij facile eludi & fraudari, niſi intelligatur etiam de remuneratoribus, & donationibus factis in ſeculo, animo & intuitu Religionis ingrediendi.

3. Et ita hanc ſententiam tenet Flaminius Pariſius, de reſignat. lib. 3. q. 23. num. 9. qui teſtatur per Sacram Congregationem ita declaratum fuiſſe. Et ita tenuit Sacra Rota in cauſa Romana de Mongellinis, die 14. Ianuarij 1636. coram doctiſſimo & amantiffimo Domino meo Carillo, tunc meritiſſimo Præſide Senatus Valliſoletani.

4. Sed his non obſtantibus, ego iterum affirmatiua ſententia adhareo, quàm eadem Sacra Rota, me citato, docuit, in cauſa Romana donationis, die 1. Febr. 1640. coram Domino meo de Rojas, qui in Magiſtrali deciſione hanc ſententiam ſatis confirmat, & adducit alias tres deciſiones eiſdem Rotæ. Et ita etiam declarauit Sacra Cardinalium Congregatio Concilij, cum omnibus alijs Congregationibus præferenda ſit, cum ſit poſterior, & agatur de faciendi illius interpretatione.

5. Probat hæc opinio. *Primò*, quia Concilium in hoc Decreto loquitur de donationibus & renunciationibus factis à Nouitijs, tã in ſeculo quàm in Monialibus, poſt ingreſſum Religionis, & ſolum prohibet ne hi donec, & non loquitur de renunciationibus factis in ſeculo animo ingrediendi Religionem; & Decretum Concilij eſt penale, cum penam nullitatis addat, & non debet extèdi, ſed reſtringi. *Secundò*, quia in dubio textus eſt intelligendus, iuxta rubricam, ſub qua conſtituitur, *ſi quid autè, & ſi quid verò. C. de veteri iure enucleando*. Cum ergo intelligentia huius Decreti Concilij ſit dubia, accipienda eſt ex rubrica, & titulo, ſub quo conſtituitur, qui eſt de Regularibus: non ergo intelligitur de meris ſecularibus, quales ſunt qui in ſeculo donat, animo ingrediendi Religionis. *Tertiò*, probatur, quia Concilium ait: *Nulla quoque renunciatio, & c. particula, quoque*, in iure eſt copulatiua cuius natura eſt copulare ſequentia cum antecedentibus: at caput & decretum antecedens Concilij loquebatur de Nouitijs, ergo iſtud immediatè ſequens de illis etiam tantum loquitur.

6. Igitur cum dictum Concilium ſit correctorium iuris communis, & proinde non poteſt intelligi, niſi in caſu de quo loquitur, qui eſt, quando ingreſſus Monafterium vult renunciationem, ſeu donationem facere.

7. Neque obſtare videntur in contrarium adducta, ex quo diſpoſitio Concilij redderetur eluſoria, & quòd lex etiam exorbitans deberet extendi, quando frustraretur illius diſpoſitio. Quia Concilium voluerit diſponere tantum poſt ingreſſum dando formam renunciationibus, vel donationibus faciendis poſt ingreſſum, & nihil dixerit de donationibus factis ante, propterea non debet talis diſpoſitio extendi ad caſum non expreſſum, quia redderetur frustratoria, cum illa procedat in proprijs terminis, in quibus loquitur.

8. Et aduerte, textum prædictum Conc. Tridentini ſeſſ. 25. c. 16. reperiri poſſum in *rit. de Regular.* propterea non eſt aptum comprehendere mos ſeculares, quales ſunt, qui habitum nõdũ ſuſceperunt, qui inter Nouitijs adhuc non ſunt adſcripti. Ita Sanch. in ſum. tom. 2. lib. 7. c. 5. n. 4. nec eſſe curandum de illis Doctori-

Gg 2 brs,